

**05**

**A**

**354**









Cum JESU Meo

99.

De

# CONSEQUENTIA IN GENERE,

SUB PRÆSIDIO

*Viri plurimum Reverendi, Clarissimi  
& Excellentissimi*

**DN. JOHANNIS SCHARFII,**

SS. THEOL. LIC. ejusdemq; P. P. Extraordi-  
narii, Logicæ item ac Metaphys.

Ordinarii,


*Præceptoris, Promotoris & Patroni  
sui æternum venerandi,*

Exercitii gratia publicè disputabit

**CASPARUS GROSSIUS MITW. MISNICUS.**

In Auditorio Majori,  
horis matutinis,

*Ad diem 27. Julii*



**WITTEBERGÆ,**

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

**ANNO M DC. XLIII.**



Cum J. Bau Meo

DC

CONSEQUENTIA

IN GENERE

SUB PRÆSIDIO

Novi plurimum Rectorum, Christiani

et Rectorum

DR. JOHANNIS SCHARFII

SS. THEOLOGICÆ P. B. EXAMINATORIS

nam, Logice, Metaphysicæ



Præceptorum, Rhetoricæ, Poëticæ

et Astronomiæ

Exercitii gratia publice disputabit

CASPARUS W. W. MISNICUS

In Auditorio Majori

hore matutinae

die diei 17. Julii

Typis Johannis Köhneri, Academ. Typogr.

WITTEBERGÆ

ANNO MDCCLXIII







Συμ Θεω.



Uanta in qualibet disciplina *Consequentia* sit necessitas, nemo est qui ignoret. Quid enim sit disputationes modò attendamus, frequentius illis verbis; *nego Consequentiam*? quid ad multa sophismata enucleanda utilius, quam ut *Consequentia* ponderetur? Imò, quocunq; se animus Logicos inter apparatus vertat, *Consequentiam* audiet, inueniet. Non itaq; me operam lusurum esse censeo, si *in genere de Consequentia* breuiter aliqua ingenii vires exercendi ergò proponam. Sit ergò bono cum DEO

SECTIO I.

Proponens τὸ εἶναι seu rationem quiddi-  
tativam *Consequentia*.

THESIS I. *Consequentia est oratio, in qua ex aliquo aliquid colligitur per notam illativam.*

§. 1. Pro debitâ definitionis explicatione notanda I. *Ety-  
mologia*. Dicitur *Consequentia* à *Consequendo*, quia est sequela u-  
nius ad alterum. Quemadmodum enim omnis denominatio  
(tradente *Piccolom. grad. 2. Phil. mor. c. 13. p. m. 168.*) à for-  
ma solet fieri, sicut & à prædicando prædicatio appellationem  
habet: Ita *Consequentia* à *Consequente* (quod est quasi forma  
antecedentis) haud incommodè deduci posse asserimus.

§. 2. 2. *Homonymia*. *Consequens* quidem ab autoribus diversis  
diversimodè usurpatur. Sumitur n. 1. in Logicis pro parte poste-  
riore Enunciati. 2. pro conclusione argumentationis. 3. Pro  
Corrollariis, quæ è conclusionibus deducuntur, quemadmo-  
dum in Mathesi sunt (1.) propositiones (2.) Conclusiones (3.)  
*Consequentia*, quæ & *consectaria*, Græcè ἐπακολουθήματα, di-  
cuntur 4. pro eo quod *conueniens* est seu *Congruens*; qua ra-  
tione *lib. 2. tit. 7. de donat. Inst. Jur.* dicitur: Nos *consequentia*

A 2

nomina



nomina rebus esse studentes constituimus. Sic & Consequen-  
tia multipliciter dicitur. Vide præ aliis *Kesler: in aureo tracta-  
tu de Consequencia cap. 1. §. 2. Goclen. in Lexic. Philosoph. p. m.*  
448.

§. 3. 3. *Synonymia*. Vocatur alias *sequela, collectio, illatio, con-  
secutio, Argumentatio*. Vid. *Arnold. de Vsing. tract. 6. parvul. Log.*  
*Philipp. Dutrieu in Manud: tract. 3. part. 1. cap. 1. art. 2.*

§. 4. Generis loco ponitur ORATIO. Ubi tenendum, ora-  
tionem ad minimum ex duabus constare pronuntiatis, quæ sunt  
Consequentiæ materiale. Una enim aliqua simplex Enuncia-  
tio non potest esse consequentia. Hinc abutuntur (verba sunt  
*Clariss. Dannenh: in Jd. B. D. & mal. soph.*) hac voce, & à com-  
muni Doctorum usu abeunt, qui negant Consequentiam ma-  
joris: cum aliud sit nexus & cohæsiō prædicati cum subjecto:  
aliud Consequentia, quæ Consequens ex antecedente per no-  
tam illativam elicitur. Quæ ut in simplicibus & categoricis pro-  
positionibus omninò observanda ducimus, ita tamen in Com-  
positis & hypotheticis orationibus paullo mitiores simus oportet.  
Vide *Excell. Pras. process. disputat. cap. X. & XI.*

§. 5. Dicitur porro in definitione *ex aliquo aliquid*. Quibus  
verbis *antecedens & consequens* innuitur: *Antecedens*, ex quo ali-  
quid colligitur: *Consequens*, quod ex alio colligitur. Vide *Ar-  
nold. de Vsing. tract. 6. parvul. Logic. Dutrieu tract. 3. part. 1. cap.*  
*1. p. m. 164. Regium. l. 3. Diss. Logic. prob. 3.*

§. 6. Additur deniq; *per notam illativam*. Nota enim illati-  
va est quasi forma Consequentiæ, quæ absente non magis Con-  
sequentia est, quam sine copula propositio est propositio. Un-  
de non est Consequentia: *Omnis homo est animal, & homo  
est sensitivus*, quia etiamsi posterior propositio rectè sequatur  
ex priori: non tamen in illâ oratione significatur sequi, ut re-  
ctè advertit *Mendoza disp. 10. Log. sect. 9. §. 38. p. 168. Favellus l. 9.*  
*Logic. c. 3. & ex eo. Regius l. c. Dutrieu, & alii*. Pari modo, si virtus  
notæ illationis impeditur per negationem, iterum non est  
Consequentia, ut: *Non est Deus. Erg. aliquid est*. Vid. *Colo-  
nienses super tract. Petri Hispan. de Consequencia.*

SECTIO



## Exhibens generales Consequentiaë divisiones.

*THESIS. II. Distinguitur (1.) in Bonam & vitiosam.*

§. 1. Advertendum divisionem hanc esse non generis in species, seu æquivoci in sua æquivocata. Quod facile constat ex remotione definitionis. Propriè enim & univocè consequentia est, cujus Consequens propriè & univocè sequitur ex antecedente. Jam autem in hoc (*homo est animal. Ergo est Philosophus.*) Consequens non colligitur verè ex antecedente: Ergò non arbitrò, hanc sequelam dicendam simpliciter consequentiam: sed vitiosam & ineptam Vide præ aliis *Tataret: in summulas Petri Hispan. tract. 6. p. 40. col. 4. c. Fonscol. 6. Instit. Dialect. cap. 2. p. m. 238. & M. Gerard. Hartvicens. super tract. Petr. Hispan. de Consequentia.*

§. 2. **BONA** definitur, Cujus Consequens verè & legitime infertur ex antecedente, Vel, ut placet *Arnold. de Vsing. tract. 6. parvul. Logic* in qua impossibile est antecedens esse verum sine Consequente, ut *homo currit. Erg. homo movetur. it. Petrus est animal. Erg. est sensitivus.* **VITIOSA** est, cujus consequens non legitime infertur ex antecedente, Vel, in qua possibile est antecedens esse verum sine Consequente, ut: *homo currit, Igitur & asinus currit: it. homo est animal Erg. est rationalis:* non enim verè colligitur hominem esse rationalem ex eo, quod sit animal, cum brutum etiam sit animal & tamen non est rationale.

§. 3. Ex quibus patescit, eam Consequentiam esse veram & legitimam, cujus deductio & collectio ab intellectu formata in dicto de Omni & nullo, itemq; in generali ipsius rei naturâ fundata est: & econtrariò, eam esse vitiosam, cui res ipsa tanquam fundamentum extra intellectum subsistens, non respondet.

§. 4. Duo autem cum primis à *Fonscol. lib. 6. cap. 2* ponuntur indicia, ex quibus indoles bonæ & malæ Consequentiaë eò melius possit cognosci.

§. 5. 1. Si ex veritate antecedentis saltem ex hypothese data Consequens verum esse deprehenditur, bona & apta est Consequentia; sin minus, vitiosa & inepta. Prioris regulæ membri exemplum potest esse hoc, *Socrates est homo. Erg. Socrates est animal.* Ubi ex veritate ante-



te antecedentis & veritate simpliciter, cognosco etiam verum esse Cōsequens, scil: *Erg. Socrates est animal*, ac proinde dico hanc Consequētiā esse bonam. Sic si ex hypothesi datur aliqua propositio esse vera v. g. *Socrates est lapis*, tunc sicut hæc vera est ex hypothesi, sic etiam illa vera erit; *Erg. Socrates non sentit*, ac proinde rursus bona Consequentia erit. Nam si hæc vera est, quod Socrates sit lapis, tunc etiam vera erit, quod Socrates non sentiat. *Posterioris hoc: Socrates est homo Erg. est Philosophus*. Vitiosa est Consequentia, quia antecedens potest esse verum, Consequens falsum, & Consequens non propterea verum est, quod antecedens sit verum, ac proinde Consequentis veritas non æstimatur ex antecedente.

§ 6. 2. *Si id quod contradicit Consequenti, repugnat antecedenti, bona est Consequentia; si minus vitiosa.* Prioris membri exemplum sit hoc: *Socrates est homo, Erg. Socrates est animal*. Bona est Consequentia; quia Enunciatio hæc *Socrates: non est animal*, tanquam Contradictoria Consequentis repugnat antecedenti. *Posterioris hoc: Socrates est homo Erg. Socrates est Philosophus*; Vitiosa est Consequentia; quia hoc pronunciatum, *Socrates non est Philosophus*, quod contradicit Consequenti, non repugnat antecedenti. Neque enim Socrates, si non sit Philosophus, non erit homo. Vid. τὸ πρῶτον Excell. Dn. Præsidentis lib. 3. Institut. Logicarum cap. 4. Dn. D. Keslerum tract. de consequentia cap. 2. §. 9. & seqq. Dannenbauerum in J. B. D. sect. 2. cap. 3. §. 37. Arnold. de Vsing. tract. 6. parvul. Logic. Jodoc. Trufetter. Isennach. l. 3. Breviar. Logic. qui latius hoc ipsum deduxerunt.

§ 7. *Nos cum Præclariss. Dn. Præside, Regio, Keslero addimus adhuc. 3. In bona Consequentia Antecedens non potest esse verum sine Consequente: In mala autem antecedens esse potest sine Consequente* v. g. *Homo est animal, Erg. sentit*, vera & bona est Consequentia, quia posito hominem esse animal, eo ipso etiam ponitur eundem sentire. Ita posito hominem esse: non potest non sequi animal esse, quia homo est animal. Contra si dico *Petrus est homo, Erg. est dives*, tunc non est bona Consequentia, quia antecedens potest esse bonum sine Consequente. Infiniti enim homines inveniuntur, qui tamen non sunt divites. Sic in hoc: *Hic est*



52

*est homo, Erg. est pius, vitiosa fit Collectio, quia prior Enunciatio potest esse vera, ut tamen posterior non sit vera.*

*Dividitur (2.) in formalem & materialem.*

§. 8. FORMALIS est, que *vi forme concludit, & cuiq; materia etiam impossibili potest applicari.* Ita Fonseca l. 6. Institut. Dialect. c. 3. p. m. 240: *Conimbricens: in c. 1. de propos. term. & Syllog. q. 2. artic. 3. p. m. 266. Mendoza disp. 10. Logic. sect. 9. §. 39. p. 169. Petrus Hispan. Scheiblerus, Regius, Kesler, Dannenhauer. ut: omnis virtus est laudabilis. Temperantia est virtus, Erg. Temperantia est laudabilis. Additur in materia impossibili aptè concludi: Ut: Omnis leo est lapis, Omnis equus est leo, Erg. Omnis equus est lapis.*

§. 9. Ut autem Consequentia formalis sese rectè habeat, requiritur ex parte Enunciationum (1.) *eadem essentialis qualitas.* Hinc non est eadem forma in his: *homo est animal, Erg. est sensus particeps: Homo non est animal, Erg. est sensus particeps: quia antecedens prioris est affirmativum, posterioris negativum. (2.) eadem quantitas, Igitur hæ Consequentia non sunt ejusdem formæ: Omnes animal est sensus particeps: Erg. homo est sensus particeps: Quoddam animal est rationis expers, Erg. Homo est rationis expers.*

§. 10. Ex parte terminorum requiritur (1.) *eadem dispositio & ordo, hinc mutatur forma consecutionis in his: Omnis virtus est qualitas, Omnis justitia est virtus, Erg. omnis justitia est qualitas: Omnis taurus est substantia, omnis equus est substantia, Erg. omnis equus est taurus. (2.) eadem acceptio & significatio. Igitur in his: Homo deambulat, Erg. Aliquis homo deambulat: Homo est species, Erg. aliquis homo est species, non est eadem forma, quia vox homo in antecedente prioris supponitur personaliter pro singulis hominibus disjunctivè; in antecedente autem posterioris simpliciter, id est, pro homine communi præcisè. (3.) idem numerus. Quare hæ non sunt similes formæ. Nullus homo est mulier, Erg. nulla mulier est aliquis homo.*

§. 11. Ex parte copule requiritur, ut sit eadem. h. e. ut serve-  
tur eadem conjunctio ac nexus principalium partium Consecutionis. Quâ de causa hæ Consequentia non sunt ejusdem formæ: *Si dies est, sol lucet; Quia dies est sol lucet. In priori enim*  
forma



forma adhibetur particula connectendi seu inferendi, quæ nihil ponit absolutè, sed solùm innuit, posito antecedente poni Consequens: in posteriori particula concludendi specialiter, quæ & ponit antecedens & consequens. Plura videantur apud *Tarquetum tractat. 4. super summul. Petri Hispan fol. 26. col. 3. c. Jodoc. Trutfetter. Ifennach l. 3. Epit Log: Fonseca l. 6. Instit. Dialect. cap. 3. Dutrieu tract. 3. §. 8. seqq. Dannenhauer. in Jd..B. D. sect. 2. cap. 3. §. 38. Dn. D. Hornej. in Quest. 1. ad disp. 6. Log. de formâ.*

§. 12. MATERIALIS, (definiente Fonseca) *quæ vi solius materie concludit*, h. e. quæ vi quidem formæ nil colligit, assumpta tamen simili materiâ in eadem forma semper aptè concludit. Materia autem tum dicitur esse similis, quando idem est terminus inferens, idem illatus, vel saltem eadem habitudo termini inferentis ad illatum, ut loquitur *Dutrieu tract. 4. part. 1. c. 1. artic. 2. p. m. 220. e. g. Homo est animal. Erg. est sensus particeps.* Consequentia materialis bona est, quia propter solam materiam h. e. propter solam rerum significatarum inter se affectionem rectè concludit. Hinc simili materia assumpta etiam aptè in eadem forma concluditur; ut *Laurus est planta. Erg. est sensus expers.* Nam ut esse sensus particeps, necessariò & universè connexum est cum animali: sic sensus expers cum plantâ.

*Dividitur (3.) Materialis in Necessariam & Probabilem.*

§. 1. NECESSARIA est, *cujus Consequens necessariò colligitur ex antecedente*, ut: *Socrates est homo. Erg. Socrates est animal.* Cum enim omnis homo sit animal, sequitur necessariò, Socratem esse animal, utpotè qui homo est.

§. 2. PROBABILIS est, *cujus Consequens colligitur quidem ex antecedente, non tamen necessariò sed maximâ ex parte* v. g. *Agricola mandat terra multa semina. Erg. magnam fructuum copiam percipiet.* Hoc non necessariò sequitur ex antecedente sed maxima ex parte. Vid. *Fonsec. d. l. c. 4.*

### SECTIO III.

## Explicans regulas Consequentiarum generales.

§. 1. Solent auctores Logici nonnullas adjicere regulas, quæ  
Conse-



Consequentiam respiciunt, ut videre licet apud *Javell. in tract. de Consequentiâ Petr. Hispan. in eod. tract. Coloniens. super Petr. Hispan. fol. 106. 107. seqq. Fonseca. l. 6. Instu. dial. c. 5. Dutrieu tract. 4. part. 1. cap. 1. art. 2. Reg. l. 4. disp. Logic. probl. 4. Kest. de Conseq. cap. 4.* quo eò melius apta consecutio videri possit. Nos igitur pauca & quidem generaliora adducemus, quippe reliqua in laudatis auctoribus possunt videri.

§. 2. 1. *Ex vero non nisi verum, verum autem tum ex vero, tum ex falso colligitur. Aristot. l. 2. prior. analyt. 2. §. 2. p. 285.* Prior pars regulæ probatur: quia si in antecedente ponuntur duo termini, qui non repugnant cum medio Erg. nec in Consequenti repugnant inter se, vi illius, quæ sunt eadem uni tertio inter sunt eadem. *Franciscus Murc. disp. 4. sum. q. 2.* 2. Effectus nequit esse toto genere deterior sua causa. Jam verò antecedens habet se se ut causa, Consequens ut effectus Erg. jam falsum deterius est verò Erg. consequens non potest esse falsum, antecedente vero. Posterior pars constat exemplorum inductione. Sic in hoc: *Omnis vitiositas est laudanda. Temperantia est vitiositas Erg. Temperantia est laudanda: Conclusio vera est, & tamen præmissæ falsæ. It: Omne animal est rationale. Erg. quoddam animal est rationale.*

§. 3. *Ποσειτατικῶς* inde colligitur, *Conclusionem in Syllogismo ineptè negari concessis præmissis.* Si enim ex veris nil nisi verum fluit, sanè si negare velles conclusionem admissis præmissis, deficeres à rationali, inquit *Mendoza disp. 10. Log. sect. 10. §. 40. p. 169.* Quin imò, præmissæ sunt causa conclusionis in actu posita: at posita causa in actu non negatur effectus, sonat Logicorum maxima.

§. 4. *Ex falso falsum & verum, falsum autem non nisi ex falso concluditur. Aristot. l. 2. Topic. c. 4. §. 5. p. 567.* Prior pars hisce exemplis probatur: *Omne animal est candidum. Corvus est animal Erg. corvus est candidus: Omne animal est nigrum & corvus est animal. Erg. corvus est niger.* Utraq; argumentatio ex falso antecedente concludit: sed prior falsum cōsequens & posterior verum. Posterior pars hujus regulæ ex eo vera esse cernitur, qui falsum ἀτόπον & inconueniens quoddam. Jam verò ἐνὸς ἀτόπου δοθέντος ὅτι τὰλλα

B συμ-



invenitur dato uno inconveniente, sequuntur alia 1. *Physic. 2. tit. 10. p. 443.*

§. 4. 3. *Ex necessario non nisi necessarium, necessarium autem ex quolibet scilicet necessario contingenti vel impossibili colligitur Arist. 1. poster. 6. §. 6. rex. 50.* Prior pars regulæ exinde probatur quia 1. necessarium est immutabiliter verum; qua ratione autem aliquid verum est, ea ratione verum ex illo sequitur. 2. Si ex necessario sequi posset contingens, cum hoc subinde esset falsum, hoc ipso, quia contingens est, tunc ex vero possit subinde sequi falsum. *Reeb. Axiom. Philosoph. N. V. p. 83.* Posterior pars patet exemplis: *Omne corpus quantum constat materia & forma. Cælum est corpus quantum, Ergo. Cælum constat materia & forma. Omnis Philosophus movetur loco: Deambulans est Philosophus, Ergo. deambulans movetur loco. Omnis lapis per se subsistit. Homo est lapis. Ergo. Homo per se subsistit.*

§. 5. 4. *Ex Contingenti nunquam colligitur impossibile, sed vel necessarium vel contingens. Contingens autem nunquam ex necessario, sed vel ex Contingenti vel impossibili concluditur.* Pars prior probatur; quia impossibile semper est falsum, Contingens autem potest esse verum. Si ergo concederetur, quod ex contingenti impossibile concluderetur, tunc daretur antecedens verum sine consequente, quod impossibile. Quod autem ex contingenti colligatur necessarium §. antecedente probavimus. Quod item ex contingenti colligatur contingens, ex hoc exemplo apparet: *Omnis Grammaticus est Dialecticus: Homo est Grammaticus, Ergo. Homo est Dialecticus.* Posterior pars probatur: ex vero nequit colligi falsum, Ergo. ex necessario nequit colligi contingens, ex simpliciter & semper vero, contingenter verum, atque adeo aliquando falsum. Igitur Contingens colligitur, aut ex contingente aut ex impossibili, quod patet ex hoc exemplo: *Omnis lapis loquitur: Homo est lapis, Ergo. homo loquitur.*


§. 6. 5. *Ex impossibili sequitur quodlibet, hoc est, necessarium contingens & impossibile. Impossibile autem non nisi ex impossibili colligitur.* Prior pars regulæ ex duabus superioribus tertia scilicet



& quarta liquet, ubi ex impossibili sequi necessarium & contingens diximus. Quod verò etiam impossibile inde colligatur ex hoc exemplo patet: *Omnis lapis videt, Schmaragdus est lapis. Ergo videt.* Posterior regulæ pars ex eo patet, quia si ex necessario aut contingenti colligeretur impossibile, dari posset in bona Consequentiâ antecedens verum & consequens falsum, quod supra sect. 2. thes. 2. §. 7. negavimus.

A N N E X A.

- 1. An Logica applicata Scientiæ fiat ipsa Scientia? Aff. contra Piccolom. in Comit. Polit. 1. part. 2. p. m. 975. Finck. Schediasm. part. 2. sch. 26. Sagittar. Quæst. Illustr. Phil. Decur. 1. q. 3.
- 2. An etiam Termini concretivi de DEO possint verificari? Aff. contra Scaligerum de Subtil. Exerc. 35. sect. 2.
- 3. An Individuum possit prædicari? Neg. contra Petrum Hurtadum de Mendoza. disp. 5. Log. sect. 6. p. m. 116. & 117.
- 4. An Logica rectè sibi vindicet tractationem de Prædicamentis? Aff. contra eundem Mendozam disp. 9. Met. sect. 7. p. m. 464.



Cùm nequeat quisquam ad culmen pertingere honoris,  
 Qui nullas artes excolit ingenuas:  
 Laudo tuum GROSSI studium; crebrumq; laborem  
 Quo Logicam versas scriptaq; cuncta Sophor;  
 Ceu probat insignis tua dissertatio; perge,  
 Nam te sudantem præmia magna manent.

*properanter scrib.*

M. Paulus Röberus, Hallâ-Saxo.



**U**T dicunt, censent omnes ex ungue leonem:  
Sic **GROSSI** quantus fortiter hisce probas:  
Dum dicis de ponte cathedra, cetera doctus,  
Quenam sit veri ritè sequela bona,  
Gratuler ut fias permagnus in arte, laboris  
Atq; feras magni premia digna tui.

Ex animo f.

**M. Christophorus Schrot**  
Grimâ-Misnicus.

---

**P**ostquam cepisti sapientum volvere scripta  
Publica doctrinæ dans documenta tuæ:  
Gratulator ex animo: atq; ut pergas fortiùs, in sto,  
Sic etenim veniet gloria, lausq; Tibi.

Fratri suo  
f.

**M. David Grossius,**  
Mittveidâ-Misnicus.

---

**F I N I S.**



05 A 354

ULB Halle

3

004 210 182




WDA











Cum JESU Meo  
De  
**CONSEQUENTIA**  
IN GENERE,

SUB PRÆSIDIO  
*Viri plurimum Reverendi, Clarissimi  
& Excellentissimi*

**DN. JOHANNIS SCHARFII,**  
SS. THEOL. LIC. ejusdemq; P. P. Extraordi-  
narii, Logicæ item ac Metaphys.  
Ordinarii,


*Præceptoris, Promotoris & Patroni  
sui aeternum venerandi,*

Exercitii gratia publicè disputabit

**CASPARUS GROSSIUS MITW. MISNICUS.**

In Auditorio Majori,  
horis matutinis,

*Ad diem 27. Julii*



**WITTEBERGÆ,**

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

**ANNO M DC. XLIII.**

99.